



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Debita sunt peccata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

tio, lacrymæ, jejunia, debitoris boni census est. S. Ambr. lib. 2. de poenit. c. 8.

Etiam si mille mortes pro Christo pateremur; nè sic quidem satisfacere, aut debitum nostrum implere, possemus. Alius quippe est DEI, alius fervor, sanguis; secundum dignitatem dico, non secundum substantiam. Jo. Climac. gr. 22.

Quid illi retribuimus pro omnibus, quæ retribuit nobis? Quid illi pro malis meis, quæ pertulit? quid pro bonis suis, quæ contulit, referam? quid pro suscepta carne? quid pro alapis, opprobriis, flagellis, cruce, obitu, sepultura, rependam? Reddamus amorem pro debito. S. Paulinus ep. 4. ad Severum.

Ingentia debita labor solvit exiguis, quæ vix consumpturus erat ardor æternus. S. Cæsarius hom. 1.

§. II.

Debita peccata sunt.

Dimitte nobis debita nostra. Matth. 6. 12. *Et dimitte nobis peccata nostra*, Luc. 11. 4. Quare post petitionem panis de venia peccatorum agitur? Resp. Fortunatus: bene, post escam quesitam, postulat venia peccatorum; ut, qui DEI cibò pascitur, Deo vivat. In pane intelliguntur omnia temporalia ad vitam necessaria. Obtentis his homo ad peccatum adeò est proclivis, ut mox ei necesse sit veniam peccatorum petere. S. Thom. in Catena ex S. Chryl.

post subsidium cibi, petitur & venia delicti. Sylv. in Matth. 6. q. 16.

Decem millia talenta. Matth. 18. 24. Quantum interest inter centum denarios, & decem millia talenta; tantum & inter ea, quæ nos in Dominum; & ea, quæ alii in nos deliquerunt. S. Chryl. in Gen. hom. 27.

Et debitum dimisit ei. Matth. 18. 27. Quam facilis debitum remittit, qui tam iratus iussit venundari peccatorem. Iussit venundari, ut peteret veniam. Vexatur à Domino, ut ad poenitentiam alliciamur. S. Chryl. Rex celestis non ex crudelitate iussit servum venundari, uxorem, & filios: sed quia incredibili curâ illius devictus hac comminatione ad supplicandum, nè venderetur, adducebatur. Escob. t. 6. par. Chr. l. 2. §. 3.

Non curabant Sodomitæ debita, neglexerunt quotidie. Neglectu crescente crevit debitum: repetitionis Chirographum auctum est, foenera peccati aucta sunt; factum est tempus repetitionis. Non habuerunt aliquid in promptu, quod redderent; non erant solvendo. Imperavit Dominus debiti, ut ipsi traderentur igni, & mulieres eorum, & filii eorum; & omnia, quæ habuerunt, in satisfactionem cederent. S. Chryl. in Gen. serm. de Adam, & poenitentia.

Oculi sunt velut loculi solutionem debitum deducentes per lacrymas. S. Bonavent. in Pf. 118.

TITULUS II. DESIDERIA.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Os meum aperui. Ps. 118. 131. Os cordis desiderium est: quod tunc ad amorem aperitur, quando supra modum ab homine desideratur. S. Thom. Vill. l. 3. Diliges Dom. &c.

Omnis labor hominis in ore ejus. Eccles. 6. 7. Os dicitur inhiatio desiderii: qui enim desiderat, quasi os aperit. Laborem igitur esse in ore, hoc est, laborare ad desiderii completionem. S. Bonav. hic.

Omnis, qui vult sibi aliquid præstari, in ardore est desiderii. Ipsum desiderium fitis est animæ. S. Aug. in Ps. 62.

Hydropim spiritumaliter patitur, qui ardentius aliquid concupiscit. S. Laur. Just. in fasc. am. ap. 15.

Fames animæ, desiderium est. Rich. à S. Vict. tr. de grad. char. p. 1. c. 2.

§. II.

Desideria dilata cruciant.

Ex Veteri.

Multiplicabo arumnas tuas. Gen. 3. 16. *& conceptus tuos.* Ex Hebræo aliqui sic reddunt: *Multiplicando multiplicabo an-*

guisiam tuam, & conceptum tuum: angustia paries filios tuos. Ubi observat Oleaster; non in eo fuisse maledictam mulierem, quod multas proles paritura esset, (hoc enim in beneficiis Dei numeratur) sed maledictionem, & poenam, illius futuram in modo parienti, & tempore conceptus. Deceverat enim Deus, ait Oleaster, ut femina suscepto semine, & formatò fœtu, statim illum emitteret, & non gestaret in utero ad novem menses cum maxima molestia: ideo in poenam peccati multiplicavit tempus. Est mulier desideriorum mirè impatiens: quia cum DEUS maximè totam vellet, acerbiores non invenit dolores, quam ut eam res cupitæ dilatione castigarent. Did. Niss. f. 5. D. 1. Quadr. §. 4.

Commota fuerant viscera ejus super fratre suo. Gen. 43. 30. Sept. torquebantur viscera ejus. S. Ambr. l. de Joseph. c. 10. torquebantur viscera ejus, quia complectendi ejus, quem desiderabat, libertas differebatur. Id. ib. gaudendum tibi potius, ex quo charissimum tuum Benjamin vides tamdiu desideratum. Ardenter se manifestare, illum amplectari, & osculari, cupiebat; sed eo contineuit se, quia tempus opportunum id faciendi expectabat.

Videns